



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. I

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

REI POENITENTIS
SIMPLEX ET HUMILIS
CONFESSIO.

*Iustus in principio accusator est sui.
Dic tu peccata tua, ut justificeris.*

C A P. I.



Voniam, ætatis spacio jam
pene decurso, vita metam ad-
spicio, & quod magis refert,
metuendi tui judicii diem
prope esse intelligo; quo ex
judicio, si summo jure nobis-
cum agatur, salus nulla serva-
te nos possit: optimum factu esse arbitror, præ-
occupare faciem tuam in confessione, Domine
Deus, juste judex ac fortis, & recogitare tibi
omnes annos meos in amaritudine animæ
meæ. Qui quidem anni (flens dico) omnes
transacti sunt à me fœde, nequiter, inutiliter,
& contra legem tuam. Sed pudet me prolo-
qui, pudet me coram hominibus nefanda mea
detegere: at præstat, hic paululum erubescere,
quam in extremo judicio fieri in contumeli-
am & in sibilum sempiternum. Longe melius
est, hic contra se ipsum causam dicere, quam
ad tribunal tuum rapi, severissime judicandum.
nam, si nosmet ipsos dijudicaremus, non uti-
que judicaremur: dum judicamur autem à te,
corripimur, ut non cū hoc mundo damnemur.